DE

MARMORIBVS TRIBVS CYRENAICIS

QVAE AD CYRENAE FABVLAM ILLVSTRANDAM PERTINENT.

DISSERTATIO ARCHAEOLOGICA

QVAM

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

LITTERARVM ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECVTVRVS

SCRIPSIT SCRIPTAMQVE NVNC PRIMVM EDIDIT

ROBERTVS CAMPBELL PVCKETT

LONDINIENSIS

LVDI PVBLICI QVI BATHONIAE EST DIRECTOR.

ADIECTA EST TABVLA AD EXEMPLVM PHOTOGRAPHVM AERI INCISA.

BONNAE

TYPIS EXPRESSIT PETRVS NEVSSER.

MDCCCLXVIII.

MARMORIBVS TRIBVS C[illegible]

QVAE AD CYRENAE FABVLAM ILLVSTRANDAM [illegible]

DISSERTATIO ARCHAEOLOGICA

QVAM

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

LITTERARVM ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECVTVRVS

SCRIPSIT SCRIPTAMQVE NVNC PRIMVM EDIDIT

ROBERTVS CAMPBELL PVCKETT

LONDINIENSIS

LVDI PVBLICI QVI BATHONIAE EST DIRECTOR.

ADIECTA EST TABVLA AD EXEMPLVM PHOTOGRAPHVM AERI INCISA.

BONNAE

TYPIS EXPRESSIT PETRVS NEVSSER.

MDCCCLXVIII.

Praefatio.

Scientia, quae artem antiquam describit atque historiam eius e reliquiis temporis praeteriti deducit, archaeologia appellatur, quae vox derivata est ab ἀρχαῖος „vetus“ et λόγος „oratio.“ Archaeologiae studia, sive ipsam spectes sive conexam cum reliquis artibus, multis illecebris praedita sunt.

Cui quo magis studetur, eo magis gliscit persequendi cupiditas. Expeditiones longinquae suscipiuntur ad explorandas terras, ubi reliquiae per saecula absconditae atque obrutae, vestigia monumentorum veterum et documenta ingenii temporum praeteritorum ad lucem proferuntur; lumenque adspergitur permultis rebus ab illis historiae quasi fragmentis quamcumque mutilatis atque disiectis.

Lapis quidam sive tabula marmorea, nullius, ut videtur, momenti, utilis esse potest ad aperiendam historiam gentis hoc tempore exstinctae, ut cognoscamus, quales eius fuerint leges, commercium, reipublicae disciplina, consuetudines privatae; siquidem scrutando monumenta antiqua nec non fragmenta armorum, paterarum et huiusmodi omnia, haud difficile est de moribus, cultu religionibus gentis coniecturam facere. Quibus in rebus investigandis a cupiditate earum magis magisque persequendarum ducimur ad studium eas ab omni parte explorandi; cumque tristitia afficiamur cognoscentes, quam fluxa sint omnia hominum opera, admiratio excitatur eorum, qui tam perennia nobis reliquerint exempla imitanda.

Sic Graeci non modo ipsi eximio pulchri excelsique iudicio erant praediti, sed omnes gentes, ad quas ingenii Graeci monumenta pervenerunt, pro sua quaeque indole, magnitudinis eorum admiratores atque imitatores exstiterunt.

Iam transeamus ad rem, quam examinandam nobis hoc loco proposuimus, duas scilicet statuas unumque opus caelatum Cyrenis nuperrime detecta, nunc vero in Musei Britannici porticu, quae dicitur operum sculptorum, deposita.[1] Multi sunt, qui magna cum doctrina atque sollertia de vestigiis templorum Cyrenensium scripserunt, inter quos Boettigerus, Brunnius ceterique memorandi sunt.[2] Iam vero ii, qui omnem regionem peragrarunt, dicunt, ad historiam horum vestigiorum explorandam ad priorum temporum scriptores sibi confugiendum fuisse.

---

[1]) Haecce monumenta e numero sunt eorum, quae Smithius et Porcherus ad Angliam transvexerunt. Viri isti doctissimi centum quadraginta octo monumenta collegerunt. Vide Smith and Porcher, Discoveries at Cyrene. London 1864.

[2]) Ex recentiorum scriptis huc pertinent: Böttiger, Griechische Vasen-Gemälde mit archaeologischen und artistischen Erläuterungen der Original-Kupfer. — Brunn, Geschichte der griechischen Künstler.

Ab eis hominibus sane, qui nunc loca illa incolunt, Arabibus barbaris et superstitiosis, quibus littora tuenda, non templorum veterum vestigia conservanda curae sunt, nihil certi aut fide digni explorari poterat. Pacho in libro, cui inscribitur Relation d'un voyage dans la Marmarique, la Cyrenäique etc., dicit plurimam materiem historiae illius regionis scripta veterum aut omnino eorum, qui ante se hanc rem tractaverint, sibi praebuisse. Antiquissimam igitur harum rerum memoriam indaganti redeundum est ad scriptores Graecos, atque ascendendum ad illa tempora, ubi historia et fabula ita sunt permixtae, ut haec ab illa separari nequeat neque historia cognoscatur nisi mythis quoque et fabulis diligenter exploratis.

De provincia Cyrenaica et praesertim de Cyrenis urbe.

Swarm populous, unnumber'd as the sands
Of Barca, or Cyrene's torrid soil.
Milton's Paradise Lost. Book 2, v. 903.

Cyrenaica, Africae septentrionalis regio, fines habet ab ortu solis Marmaricam, ab occidente Syrticam; pars eius septentrionalis mare interum attingit, australis ad desertum Libycum spectat, quod nunc Sahara appellatur. Situ, coelo omnique natura loci haec regio inter omnium terrarum beatissimas numerari potest: modicae altitudinis planities partem eius mediam constituit, eius orae littoris sinus comitantur, ad quod per gradus descenditur; et ea viridibus herbis operta florumque uberrima copia distincta, frequentibus aquis irrigata, marinis ventis temperata, atque montium iugo ab austri flatibus aridis defensa.

Gradus montis pro vario caelo varios gignebant flores, olera, fructus; messemque per octo menses producebant.

Alta illa planities, quam diximus, septuaginta vel octoginta millium latitudine inter mare atque loca vasta porrecta in illis tantum partibus, quae ad septentriones atque occasum solis spectant, magna illa, de qua diximus, fructuum copia abundat, quorum tanta est ubertas, ut nostris etiam temporibus haec regio „Iebel akdar“ i. e. mons viridis, appelletur.

Numerantur inter ea, quae haec terra gignit, frumentum, oleum, vinum, cuiusvis generis fructus, fici, amygdalae, olera, cucumeres, buxum, crocus, quibus e floribus odores praestantissimi excoquebantur; et quidem planta rarissima quaedam huius regionis propria, maximeque apud veteres celebrata, laserpitium, quod Graeci *σίλφιον* appellabant. Sucus eius (*ὀπὸς Κυρηναῖος*), quem laser vocabant, a veteribus medicis maximi aestimabatur.

Qua ex planta colenda atque vendenda cum maximus quaestus fieret, nummis Cyrenensibus ea imprimebatur.[1])

Praeterea terra haec celebris erat melle, equis, struthiocamelis. Ne tamen in tanta naturae benignitate omnino incommodis vacaret, frequentibus locustarum populationibus haec regio obnoxia fuit; hominesque, ut fit, omnium rerum abundantia fruendo in mollitiem delapsi sunt.

---

[1]) Haec planta, cuius copia imperii Romani temporibus diminui coepit, hodie, ut tradunt Della Cella et Pacho, quam maxime abundat.
Vide: Della Cella, Viaggio da Tripoli di Barberia alle frontiere occidentali dell' Egitto fatto nel 1817.

Antiquissimis temporibus loca haec tenuerunt gentes Libycae, inter quas praecipuae erant Barcaei, Psylli, Nasamones, quos deinceps in interiorem regionem coloni Graeci reppulisse videntur. Atque prima quidem colonia Graeca, cuius certa ad nos memoria pervenit, e Thera insula deducta est a Batto, qui primo in insula Platea regioni Cyrenensi finitima consedit, postea Cyrenas urbem condidit anno a. Chr. n. DCXXXI; cuius ex genere octo reges regnaverunt mediocri in ceteras civitates Graecas potestate. Ex quibus antiquissimae sunt Tanchira, Hesperides, deinde Barca colonia Cyrenensis, quae cum Cyrenis eiusque portu Apollonia coniunctae Pentapolis Libyca appellabantur. Reges, quorum potentia et singularum civitatum libertate (quae ut Barca Cyrenarum imperium abiicere conabantur) et Persarum irruptione a Cambyse rege facta paullatim frangebatur, denique plane deiecti sunt, liberaque pro regno civitatis forma constituta est.

Cum Alexandro in Aegyptum irrumpente Cyrenenses foedus fecerunt, illoque mortuo Ptolemaeus Lagi filius Cyrenas in potestatem suam redegit. Viguisse videtur Cyrenaica Ptolemaeis regnantibus, qui hoc sequebantur in regenda republica consilium, ut veteribus civitatibus neglectis novas conderent aut veteres mutato nomine adiuvarent.

Sic Hesperides factae sunt Berenice, Tanchira Arsinöes nomen accepit; Barcae potestati portus, sub nomine Ptolemaidis ad civitatis dignitatem provectus, multum detraxit; idem Cyrenis per Apolloniam ad litus maritimum sitam accidit. Rebus ita mutatis Pentapolis, quod commune huius regionis nomen erat, de quinque his civitatibus Cyrenis, Apollonia, Ptolemaide, Arsinöe, Berenice usurpatum est.

Ultimus Ptolemaeorum generis rex Apio, nothus Ptolemaei Physconis filius, quo mortuo (anno a. Chr. n. CXVII) hic imperium obtinuerat, regnum ex testamento Romanis reliquit (anno a. Chr. n. XCV [1]).

Ac primo quidem integras civitates illas Romani passi esse videntur, immo agros publicos iis restituisse, nisi quod vectigal iis imposuerunt; sed postea exortis inter singulas civitates discordiis, quas Lucullus Sullae auspiciis componere frustra conatus erat [2]), Romani quo ultimo talium rerum remedio uti solebant, totam regionem in provinciae formam, cui nomen Cyrenaicae inditum est, redegerunt, anno a. Chr. n. LXXI: cui mox adiuncta est insula Creta a Q. Metello Cretico paucis annis post (a. Chr. n. LXVII) subacta. Caesare, deinde Augusto novam imperii descriptionem instituente, provinciae illae coniunctae „Cretae et Cyrenes“ sive „Cretae“ nomine provincia senatoria factae sunt, cui proconsul cum legato compluribusque quaestoribus praeerat. Constantini temporibus Creta et Cyrenaica provinciae separatae sunt, alteraque Libya superior appellata praesidique administranda tradita est.

Gravissimum detrimentum hae civitates Traiano regnante ceperunt, quo tempore Iudaei, quorum magna vis Ptolemaeorum temporibus in illis locis sedes occupaverat, seditione facta multisque civibus Romanis Cyrenensibusque trucidatis, non sine atrocibus certaminibus multaque cum caede a Romanis oppressi sunt.

---

[1]) Liv. Epitom. 70. A Livio discrepat Appianus qui aliquot annis post hoc factum esse censet.

[2]) Lucullus dictatore Sulla potestatem praetoriam in Africa exercebat.

Tot tantisque hominum caedibus et gliscente indies imperii infirmitate factum est, ut provincia defensoribus praesidiisque destituta barbarorum irruptionibus pateret: ad quas aliae calamitates, locustarum vastationes, pestilentia, terrae motus accedebant.

Quantis huiusmodi miseriis illa regio quinti saeculi initio affecta sit, praeclara Synesii Ptolemaidis posteaque episcopi. Procopii descriptio declarat (anno p. Chr. DCXVI).

Deinde Persae duce Chosroe omnia coloniarum Graecarum vestigia exstinxerunt, a quorum vastationibus quodcunque relictum erat, Arabes abunde in hanc regionem effusi penitus everterunt (a. DCXLVII p. Chr.)

Urbs vero Cyrene sive Cyrenae, cui hodie est nomen Ghremah, provinciae Cyrenaicae caput, clarissimaque Africae septentrionalis colonia Graeca, a Doriensibus quod supra diximus, (anno a. Chr. DCXXXI) condita est, qui Batto duce a Thera insula profecti in hanc regionem pervenerunt.

De tempore, quo civitas condita sit, et de nomine conditoris non magis constat, quam unde regio ac civitas nomen duxerint.

Sunt qui dicant [1]), colonos regionem illam peragrantes Libyas duces secutos ad fontem Apollini sacrum constituisse, ibique urbem condidisse quam a fontis nomine *Κύρη Κυρήνην* appellaverint. Contra Muellerus [2]) posteriore demum aetate censet deum cum fonte illo coniunctum esse, fabulamque increbuisse, Apollinem Cyrenes, Thessalae nymphae, amore captum curru cygnis iuncto eam in Africam abripuisse.

Sed misso hoc loco, quo revertemur, cum ad historiam ipsius nymphae tractandam accesserimus, quemque latius exposuerunt, qui huius regionis historiam scripserunt, id tantum adiicere liceat, Cyrenarum in Graecae historiae memoria praecipuas esse partes. Iam Herodoti temporibus celebres fuerunt huius regiones medici; hinc philosophorum disciplina nomen traxit, cuius auctor Aristippus a Cyrenis erat oriundus; Carneades praeterea, tertiae, quae vocatur, academiae Atheniensis princeps nec non Callimachus poeta, qui Ptolemaeorum tempore florebat, hinc originem duxerunt.

Cyrenarum opibus maxime adhuc florentibus, merces Cyrenenses, quarum praecipuum erat laserpitium, per multas orbis partes divulgabantur. Inter Carthaginem atque Cyrenas, utpote civitates aemulas et vicinas, perpetuae intercedebant simultates, unde factum est, ut mercatura inter eas nisi furtim non fieret.

Praeterea Lapidarii pictoresque Cyrenenses Plinio auctore apud veteres celebrabantur. Ex nummis Cyrenensibus, quorum magna vis olim fuisse videtur, duos tantum hoc loco commemorare liceat, descriptos ab Eckhelio, [3]) quorum unus altera parte Iasonis imaginem, altera currum triumphalem exhibet sine dubio ad equorum certamina referendum; alter Iovis Ammonis caput prae se fert adiecta voce *Κύρα* (quod scribendi compendium est pro voce *Κυρήνη*), altera

[1]) Cf. Herod. Melpomene 158.
[2]) Ottfr. Mueller, Prolegomena zu einer wissenschaftlichen Mythologie.
[3]) Vd. doctrinam nummorum.

parte silphium huius regionis insigne. Inter urbis antiquae vestigia, quae utcunque temporis casibus oblitterata non exigua nostro tempore exstant viarum, aquarum, templorum, theatrorum atque sepulcrorum, operum sculptorum tabularumque pictarum reliquiae reperiuntur.

E regione loci eius, quem urbs antiqua occupabat, ampla necropolis cognoscitur, viaque, quae ab urbe Cyrenis ad portum Apollonium ducebat, hodie manet.

Homines, qui nunc illa loca incolunt, ad genus Syro-Arabicum pertinent, ad parvum illud et gracile hominum genus, quod ad Oceanum versus in terra, quae nunc appellatur Marocco Shiloukh audit, cum in interiore Africae parte gens illa longis atque opimis corporibus nec raro flavis capillis caeruleisque oculis conspicua reperiatur, qui Mauri vulgo vocantur. Eiusdem generis sunt, qui nunc Cabylae Algerici vocantur. [1])

De mythis ad Cyrenen pertinentibus.

Pertinet mythologia ad elegantiores quae nunc vocantur litteras: usui est poetis iisque rerum scriptoribus, qui fabulas veteres perscribunt et in hoc litterarum genere versantur.

Profecto undique fabula occurrit, sive dramaticorum atque lyricorum operum idonea materies, sive fons, unde sculptores atque pictores opera effingendi sua impetum hauriant. Nec vero difficile est intellectu haec veterum commenta tam grate composita tantaque sollertia expressa magnum in animis eorum, qui poetas legunt, excitare studium absconditi illorum sensus eruendi: aptaque autem interpretatione reperta, omnique allegoriae ac mysticismi caligine remota, quo solo prioris aetatis mythologi uti solebant fundamento, clara lux antiquis scriptoribus adspergitur multorumque locorum sententia facilius perspicitur.

Porro antiquissima Graeciae historiae a Graecorum poetis repetenda est; nam cum primum pedestri sermone historia in Ionia scribi coepta est, ex antiquissimorum poetarum operibus ea est derivata; quorum omnes fabulae sive mythi servato temporum atque generum ordine in historiam suscipiebantur, atque ut humani generis origo a stirpe deorum caelestium repetebatur, sic illorum scriptorum opera aut theogoniae erant aut genealogiae. Sine ullo iudicio nullaque adhibita diligentia, omnia, quae de gentis suae primordiis vulgo credebantur, religiose illi perscribebant.

Cuius generis sunt opera Acusilai Argivi, Hecataei Milesii, Hellanici Lesbii aliorum, quorum disiectae exstant reliquiae.

Sed haud multo post fabula ab historia vel fide historica separari coepta est.

---

[3]) Cf. Berghaus, Anthropographisches Mag. Nr. 18.

Dionysius Milesius Persarum belli temporibus tria opera scripsit, unum mythicum *μυθικά*, alterum historicum *Τρωϊκά*, tertium historicum, cui inscriptum erat *κύκλος ἱστορικός*. Ante quem iam Pherecydes Syrius decem historiarum libros scripserat a mundi origine profectus. Alii contra vel magis historiam fabulis miscuerant non modo urbium conditores deos fuisse contendentes, sed etiam terras et insulas eorum iussu mari surrexisse narrantes. Quae fabulae quum a rerum scriptoribus repeterentur, in historia quasi inveteraverunt.

Ephorus Isocratis discipulus primus opinionem protulit, Tityum, Pythonem, gigantes Iovem aliosque deos revera ut homines inter homines vixisse.

Eadem erat Euhemeri Messenii opinio, qui cum animos hominum, quibuscum ei res erat, non ignoraret, fabulam invenit, qua impietatis invidiam effugeret.

Narravit enim, se longas terras atque ignota maria permensum, in insulam venisse in australi mari sitam, a Cretensibus occupatam, cui Panchaïae nomen fuisset. Hic se vidisse magnificum templum, Iovi deorum principi sacrum, ubi indices atque vitae deorum Urani, Saturni, Iovis, Apollinis, Dianae conservarentur: praeterea narravit omnes hos deos dictos fuisse homines et inter homines olim vixisse; Iovem praecipue veterem benignumque Cretae regem, a populo suo ad deorum dignitatem provectum fuisse pro magnis, quae ab illo accepissent beneficiis, quippe qui civitatem eorum condidisset eique leges constituisset [1]).

Sed quum nobis non sit propositum de mythologia disputationem facere, cui muneri auctore Welckero ne decem quidem Lessingii pares sint; omnes controversiae, quas de historica mythi definitione philosophi antiqui, sectarum auctores atque discipuli fecerunt, mittendae videntur atque, ut partem huius capitis praecipue illuc pertinentem conficiamus, hoc unum adiiciendum, et veterum et recentiorum scriptorum perraro de hac re congruere sententias. Illustrandi causa, atque ut scriptorum aliquorum temere selectorum sententiae hoc loco commemorentur, dicere liceat Bannierum [2]) et Hullmannum mythologiam duxisse antiquissimam nationis Graecae omnisque generis humani historiam, Kannium [3]) et Wagnerum [4]) eam putasse primam atque puram naturae venerationem a paganitate postea detrusam, cum Huetius et Vossius similitudinem inter fabulas veteres atque Iudaeorum monumenta quaerendo, ipsius fidei Christianae fundamenta in illis indagare conarentur.

Allegoria *(ἀλληγορία)* translata redditur sententia sive oratio, in qua res principalis significatur per alteram natura sua et qualitate prioris rei similem. Eadem est allegoriae in dicendo vis, quae literarum hieroglyphicarum est. Animis enim spectantium sese insinuat allegoria per imagines arte compositas, paratiorem praebentes sensum, quam qui verborum farragine sententiarumque ambagibus parari queat.

Accedit brevitas maiorque in adhibendo perspicuitas; atque poesis, quae, si verum quaeris, nihil aliud est nisi sermo pedestris, selectis et elegantibus verbis comprehensus atque inclusus,

---

[1]) *Εὐήμερος, ἱερὰ ἀναγραφή.*
[2]) Bannier, Antoine, La Mythologie et les fables expliquées par l'histoire.
[3]) Kanne, Erste Urkunde und Geschichte der allgemeinen Mythologie.
[4]) Wagner, Spicilegium, Annotationes in picturas vasorum Graecorum.

altisque sententiis refertus, allegoria utitur idoneo instrumento ad vim suam sensumque reconditum aperiendum.

Boileauius hoc modo eam duobus versibus definit:

„Et pour t'en dire ici la raison historique,
Souffre que je l'habille en fable allégorique.“

Manifesto videmus scriptoris consilium fuisse causam vel veritatem historicam fabula vestiendi atque involvendi, ex qua allegorica enarrandi ratio exsistit, qui vocatur symbolismus, per quem licet semperque licebit omnis generis materiem figura vel imagine significare.

Philosophi prisci seu quam maximam de scientia sua hominibus opinionem facere conati seu fortasse studio ducti reverentiam excitandi, vel timorem vulgo profano incutiendi, vel memoriam discipulorum confirmandi, quo tenaciores fierent praeceptorum sibi traditorum, sermone symbolico utebantur, quo placita mysteriaque eorum certis atque usitatis imaginibus exprimebantur. Inde factum est [1]), ut, quum diversas unius divinae mentis potestates allegorice per plura numina significarent, iidem omnem rerum naturam una cum animatis atque inanimatis rebus, scientia, artibus, virtutibus, vitiis, cupiditatibus, affectibus per symbola exprimerent. — Sic universa et historica et allegorica fabulae ratione adumbrata, lectorem harum rerum accuratius cognoscendarum cupidum ad opera Creuzeri, Gerhardii, Muelleri delegamus [2]).

Graeci ut constat multitudinem deorum atque heroum venerabantur, quos coram atque praesentes res humanas regere putabant: neque solum reges, sed etiam cives, viros eximios, legum constitutores, belli duces, immo etiam poetas atque artifices, a quibus beneficia acceperant, grato animo in deorum numero collocabant, eosque templis, statuis nummisque et omnis generis monumentis posteris venerandos tradebant.

Ac tempore quidem, quo Pentapolis sive Cyrenaica condebatur, Apollinis et Dianae cultus apud Graecos iam inveteraverat: unde factum est, ut a colonis in novas, quas in Africa quaerebant sedes, hic cultus traduceretur. Apollo et Diana, Iove et Latona nati, ille solis, haec lunae speciem induisse putabantur. Diana ut ab hominum coetu se removeret, venandi gaudiis sese dedit; cui muneri respondet, quae huic deae a veteribus tribuebatur species. Solebant enim eam fingere virginem proceram et venustam, specie quadam virili, cothurnis indutam, succinctam, virginum lectarum caterva stipatam. Fingebatur choros Musarum et gratiarum ducens, laudes caelestis Latonae dicentium; atque cum Apolline coniuncta lenia sua tela (ἀγανὰ βέλεα) in hominum genera intendens.

[1]) Là pour nous enchanter, tout est mis en usage,
Tout prend un corps, une âme, un esprit, un visage:
Chaque vertu devient une divinité,
Minerva est la prudence, et Venus la beauté,
Ce n'est pas la vapeur, qui produit le tonnerre,
C'est Jupiter armé pour effrayer la terre.
Un orage terrible aux yeux des matelots,
C'est Neptune en courroux, qui gourmande les flots,
Echo n'est plus un son, qui dans l'air retentisse,
C'est une Nymphe en pleurs, qui se plaint de Narcisse. Vide: Boileau, Art poétique.

[2]) Creuzer, Symbolik und Mythologie der alten Völker, besonders der Griechen.
Gerhard, Griechische Mythologie.
Mueller, Prolegomena etc.

Pro casto suo animo omnem hominum vel mulierum impudicitiam severissime castigat. Sic Aetaeo in cervum mutatus a canibus suis dilaniatus est [1]).

Superbia Niobae, quae cum Latona sese comparare ausa erat, tantam huius liberorum iram excitavit, ut omnes Niobae filii Apollinis, filiae excepta Chloride Dianae sagittis interficerentur; Niobe ipsa liberorum clade perculsa in lapidem mutata in monte Sipylo collocaretur [2]). Diana ut venationi intenta, saepe tunica Dorica amicta, crinibus more Dorico compositis, cothurnis creticis induta, canem muneris insigne ducens fingitur.

Oreades sive nymphae montium Dianae cohortem constituebant, quarum erat Cyrene, praecipua operis nostri materies. Illae medium quasi inter deos hominesque locum obtinere (unde semidearum nomen duxerunt) et utriusque naturae participes esse putabantur.

Sic Homerus, ubi Oreadum mentionem [3]) facit, ambrosia eas vivere, ad deorum choros adhiberi, et Mercurii Silenorumque amore peti dicit, et quamvis immortales non sint, vitam eorum non desinere nisi cum ipsius arboris, quacum coniunctae sint interitu; unde *ἰσόδενδροι* i. e. arboribus aequales a veteribus appellabantur.

Nymphae, sive terram sive mare colentes, antra amoena conchis ornata, fronde viridi tecta fontibusque irrigata domicilio deligebant; atque nymphaeum (ita enim hae nympharum sedes vocabantur) quod Romae erat, ubi nymphae colebantur, eodem modo fontibus et aquis desilientibus erat ornatum. Earum pater Oceanus haberi solebat, quia omnes paene nymphae mare, flumina, fontes lacusque habitabant.

Antiqua enim mythologia omnem rerum naturam multorum deorum praesentia celebrari credebat; unde factum est, ut omnis rerum natura, animata vel inanimata, sacra fieret. Inter quos homo versatur audiens ut ait Miltonus[4]):

„from the steep
Of echoing hill or thicket . . . . .
Celestial voices through the
midnight air . . . . .“

Gerhardius in opere suo praestantissimo Cyrenae nymphae originem subtexere conatus est; sed inde ab initio dubitatio de parentibus eius movetur, quum aut Hypseo aut Peneo nata

---

[1]) Ov. Met. III, 355.

[2]) Praeclara illa Niobae eiusque liberorum effigies Praxiteli tribui solet.

[3]) Ὑμνος IV. (*εἰς Ἀφροδίταν*) vv. 259 sqq.

αἵ ῥ' οὔτε θνητοῖς οὔτ' ἀθανάτοισιν ἕπονται·
δηρὸν μὲν ζώουσι καὶ ἄμβροτον εἶδαρ ἔδουσι,
καί τε μετ' ἀθανάτοισι καλὸν χορὸν ἐρρώσαντο·
τῇσι δὲ Σειληνοί καὶ εὔσκοπος Ἀργειφόντης
μίσγοντ' ἐν φιλότητι μυχῷ σπείων ἐροέντων.
τῇσι δ'ἅμ' ἢ ἐλάται ἠὲ δρύες ὑψικάρηνοι
γεινομένῃσιν ἔφυσαν ἐπὶ χθονὶ βωτιανείρῃ
. . . .
ἀλλ' ὅτε κεν δὴ μοῖρα παρεστήκῃ θανάτοιο,
ἀζάνεται μὲν πρῶτον ἐπὶ χθονὶ δένδρεα καλὰ,
φλοιὸς δ' ἀμφιπεριφθινύθει, πίπτουσι δ'ἄπ'ὄζοι,
τῶν δὲ θ' ὁμοῦ ψυχὴ λείπει φάος ἠελίοιο.

[4]) Paradise lost. IV, 780.

esse dicitur. Fuerunt igitur, qui dicerent [1]), Cyrenen filiam fuisse Hypsei, Lapitharum regis, cuius greges a ferarum impetu defendisset: quam quum Apollo in Pelionis saltibus e certamine cum leone victricem vidisset, amore captum in illam Libyae partem eam abripuisse, cui postea nomen indidisset.

Ab his non multum discrepant, quae ab aliis narrantur.

Vergilius, qui non tam fabulas antiquas perscribit, quam novas inceptis suis idoneas contexit, notisque nominibus illustrat, Cyrenen et Aristaeum in quartum Georgicon librum introduxit.

Et hic quidem cum iis quas memoravimus fabulas non plane consentit.

Cyrenen scilicet Penei filiam ex Apollinis complexibus Aristaeum peperisse narrat, sed tantum abest, ut nymphae historiam cum urbe Cyrenis terraque Libyca coniungat, ut, Aristaeo iam adulto, Cyrenen cum patre Peneo „in gurgitis imis“ amplius habitasse, et imperium quoddam in ceteras nymphas exercuisse referat. Aristaeus enim: [2])

„Fugiens Peneia Tempe,
Amissis, ut fama, apibus morboque fameque,
Tristis ad exstremi sacrum caput adstitit amnis,
Multa querens atque hoc adfatus voce parentem:
Mater Cyrene, mater, quae gurgitis huius
Ima tenes, quid me praeclara stirpe deorum,
Si modo, quem perhibes, pater est Thymbraeus Apollo,
Invisum fatis genuisti . . . .
At mater sonitum thalamo sub fluminis alti
Sensit.“

Sed missis his poetae recentioris commentis hoc tantum teneamus, Vergilium eorum sententiam, qui Cyrenen in Africam ab Apolline abductam referunt, aut prorsus ignorasse aut consulto omisisse.

Cyrene venationi incubuisse et incredibilem ferarum stragem fecisse dicitur. Tum Apollo, conspecta eius, quam supra diximus cum leone pugna, amore captus consilium virginis abripiendae iniit.

Frustra Chiro, quem consilii sui participem fecit, ut ab incepto desisteret blanditiisque potius, quam vi uteretur, permovere conabatur. Namque Apollo cupiditate flagrans, vi eam in Libyam abduxit, ubi Aristaei mater facta est. [3]) Cum hac fabula fere congruit praeclara illa Cyrenae nymphae descriptio, quae apud Pindarum in Carmine Pythico nono exstat. [4]) Scriptum est hoc carmen in honorem Telesicratis Cyrenensis, in currendi certamine victoris. [5])

---

[1]) Pind. Pyth. IX, 21.

[2]) Georg. Lib. IV. vv. 319. ogg.

[3]) Talis Pindari de hac re sententia fuisse videtur, sed nos non fugit, scriptores veteres in Asiae Libyaeque finibus statuendis nequaquam inter se consentire. Herodotus de hac re fusius disserens (II. 16.), Aegyptum Libyae potius adscribendam censet.

[4]) Iam supra annotatum est, Pindarum non Penei, sed Hypsei filiam Cyrenen facere.

[5]) De Telesicrate confer scholia ad hunc locum apud Boeckhium Tom II. p. 401.

Iam Pindari verba inde ab initio haec sunt,

Ἐθέλω χαλκάσπιδα Πυθιονίκαν
σὺν βαθυζώνοισιν ἀγγέλλων
Τελεσικράτη Χαρίτεσσι γεγωνεῖν,
ὄλβιον ἄνδρα, διωξίππου στεφάνωμα Κυράνας·
τὰν ὁ χαιτάεις ἀνεμοσφαράγων ἐκ Παλίου κόλπων
ποτὲ Λατοΐδας
ἅρπασ', ἔνεικέ τε χρυσέῳ παρθένον ἀγροτέραν
δίφρῳ, τόθι τιν πολυμήλου
καὶ πολυκαρποτάτας θῆκε δέσποιναν χθονὸς
ῥίζαν ἀπείρου τρίταν εὐήρατον θάλλοισαν οἰκεῖν.
ὑπέδεκτο δ' ἀργυρόπεζ' Ἀφροδίτα
Δάλιον ξεῖνον θεοδμάτων
ὀχέων ἐφαπτομένα χερὶ κούφᾳ·
καί σφιν ἐπὶ γλυκεραῖς εὐναῖς ἐρατὰν βάλεν
αἰδῶ,
ξυνὸν ἁρμόζοισα θεῷ τε γάμον μιχθέντα
κούρᾳ θ' Ὑψέος εὐρυβία·
ὃς Λαπιθᾶν ὑπερόπλων τουτάκις ἦν βασιλεύς,
ἐξ Ὠκεανοῦ γένος ἥρως
δεύτερος· ὅν ποτε Πίνδου κλεενναῖς ἐν πτυχαῖς
Ναῒς εὐφρανθεῖσα Πηνειοῦ λέχει Κρείοισ' ἔτικτεν,
Γαίας θυγάτηρ. ὁ δὲ τὰν εὐώλενον
θρέψατο παῖδα Κυράναν· ἁ μὲν οὔθ' ἱστῶν
παλιμβάμους ἐφίλησεν ὁδούς,
οὔτε δείπνων οἰκοριᾶν μεθ' ἑταιρᾶν τέρψιας·
ἀλλ' ἀκόντεσσίν τε χαλκέοις
φασγάνῳ τε μαρναμένα κεράϊζεν ἀγρίους
θῆρας ἦ πολλάν τε καὶ ἁσύχιον
βουσὶν εἰράναν παρέχοισα πατρῴαις, τὸν δὲ σύγκοιτον
γλυκὺν
παῦρον ἐπὶ γλεφάροις
ὕπνον ἀναλίσκοισα ῥέποντα πρὸς ἀῶ.
κίχε νιν λέοντί ποτ' εὐρυφαρέτρας
ὀμβρίμῳ μούναν παλαίοισαν
ἄτερ ἐγχέων ἑκάεργος Ἀπόλλων.
αὐτίκα δ' ἐκ μεγάρων Χείρωνα προσέννεπε φωνᾷ·
Σεμνὸν ἄντρον Φιλυρίδα προλιπὼν θυμὸν
γυναικός, καὶ μεγάλαν δύνασιν
θαύμασον, οἷον ἀταρβεῖ νεῖκος ἄγει κραδίᾳ μόχθον
καθύπερθε νεᾶνις
ἦτορ ἔχοισα. φόβᾳ δ' οὐ κεχείμανται φρένες.

τίς νιν ἀνθρώπων τέκεν; ποίας δ' ἀποσπασθεῖσα φύτλας
ὀρέων κευθμῶνας ἔχει σκιοέντων;
γεύεται δ' ἀλκᾶς ἀπειράντου.
ὁσία κλυτὰν χέρα οἱ προσενεγκεῖν
ἦ ῥα καὶ ἐκ λεχέων κεῖραι μελιαδέα ποίαν;
τὸν δὲ Κένταυρος ζαμενής, ἀγανᾷ χλαρὸν
γελάσσαις ὀφρύϊ, μῆτιν ἑὰν
εὐθὺς ἀμείβετο· Κρυπταὶ κλαΐδες ἐντὶ σοφᾶς Πειθοῦς
ἱερᾶν φιλοτάτων
Φοῖβε, καὶ ἔν τε θεοῖς τοῦτο κἀνθρώποις ὁμῶς
αἰδέοντ', ἀμφανδὸν ἁδείας τυχεῖν τοπρῶτον εὐνᾶς.
καὶ γὰρ σέ, τὸν οὐ θεμιτὸν ψεύδει θιγεῖν,
ἔτραπε μείλιχος ὀργὰ παρφάμεν τοῦτον λόγον.
κούρας δ', ὁπόθεν, γενεὰν
ἐξερωτᾷς, ὦ ἄνα; κύριον ὃς πάντων τέλος
οἶσθα καὶ πάσας κελεύθους·
ὅσσα τε χθὼν ἠρινὰ φύλλ' ἀναπέμπει, χὠπόσαι
ἐν θαλάσσᾳ καὶ ποταμοῖς ψάμαθοι
κύμασιν ῥιπαῖς τ' ἀνέμων κλονέονται, χὤ τι
μέλλει, χὠπόθεν
ἔσσεται, εὖ καθορᾷς.
εἰ δὲ χρὴ καὶ πὰρ σοφὸν ἀντιφερίξαι
ἐρέω. ταύτᾳ πόσις ἵκεο βᾶσσαν
τάνδε, καὶ μέλλεις ὑπὲρ πόντου
Διὸς ἔξοχον ποτὶ κᾶπον ἐνεῖκαι·
ἔνθα νιν ἀρχέπολιν θήσεις, ἐπὶ λαὸν ἀγείραις
νασιώταν ὄχθον ἐς ἀμφίπεδον· νῦν δ'
εὐρυλείμων πότνιά σοι Λιβύα
δέξεται εὐκλέα νύμφαν δώμασιν ἐν χρυσέοις πρό-
φρων· ἵνα οἱ χθονὸς αἶσαν
αὐτίκα συντελέθειν ἔννομον δωρήσεται
οὔτε παγκάρπων φυτῶν νήποινον, οὔτ' ἀγνῶτα θηρῶν.
τόθι παῖδα τέξεται, ὃν κλυτὸς Ἑρμᾶς
εὐθρόνοις Ὥραισι καὶ Γαίᾳ
ἀνελὼν φίλας ὑπὸ ματέρος οἴσει.
ταὶ δ' ἐπιγουνίδιον κατθηκάμεναι βρέφος αὐταῖς
νέκταρ ἐν χείλεσσι καὶ ἀμβροσίαν στάξοισι
θήσονταί τε νιν ἀθάνατον
Ζῆνα καὶ ἁγνὸν Ἀπόλλων', ἀνδράσι χάρμα
φίλοις, ἄγχιστον ὀπάονα μήλων
Ἀγρέα καὶ Νόμιον, τοῖς δ' Ἀρισταῖον καλεῖν.
ὣς ἄρ' εἰπὼν ἔντυεν τερπνὰν γάμου κραίνειν τελευτάν.

ὠκεῖα δ' ἐπειγομένων ἤδη θεῶν
πρᾶξις ὁδοί τε βραχεῖαι. κεῖνο κεῖν' ἆμαρ
διαίτασεν· θαλάμῳ δὲ μίγεν
ἐν πολυχρύσῳ Λιβύας· ἵνα καλλίσταν πόλιν
ἀμφέπει κλεινάν τ' ἀέθλοις.
καί νυν ἐν Πυθῶνί νιν ἀγαθέᾳ Καρνειάδα
υἱὸς εὐθαλεῖ συνέμιξε τύχᾳ·
ἔνθα νικάσαις ἀνέφανε Κυράναν, ἅ νιν εὔφρων
δέξεται
καλλιγύναικι πάτρᾳ
δόξαν ἱμερτὰν ἀγαγόντ' ἀπὸ Δελφῶν.

Praeter eas quas commemoravimus fabulas alia de Cyrene nympha memoriae prodita est.

Dicunt enim Eurypliilum Libyae regem regni sui partem ei promisisse, qui leonem regionem illam hominum atque pecoris stragibus infestantem interfecisset; qua pugna suscepta ac feliciter superata, Cyrenen praemium propositum accepisse. Sed hanc an alteram fabulam sequaris, ad ipsam nymphae naturam non multum interesse videtur. Eandem enim fabulam saepe rerum scriptorum atque poetarum arte mutatam, amplificatam, exornatam esse, permulta declarant. Porro res a Cyrene nympha gestae ad alias saepe translatae sunt. Sic ut e magna exemplorum copia unum afferamus, apud Aurelium Victorem legimus, Creusam venustam Erechthei Atheniensium regis filiam, ab Apolline raptam atque in Libyam abductam filium peperisse, a patre Apolline deinde Delphos missum, ubi furtim educaretur.

Eadem de Aristaeo Apollinis atque Cyrenes filio fama valebat, quem alii dicunt Delphos, alii in Coum insulam missum esse, ubi clam adolesceret.

Sunt, qui dicant, unicum Cyrenae filium Aristaeum fuisse, qui Cyrenarum urbis conditor colendique laserpitii auctor fuerit. Aliis tamen ab autoribus, ut supra diximus, constat, Battum civitatis conditorem fuisse. Praeterea memoriae proditum est, eam multorum liberorum matrem fuisse.

Hoc quidem loco iam enarrandae Cyrenes historiae finem facere licet, sed non praetereunda nobis videntur testimonia materiae illustrandae idonea.

Gerhardius in mythologia Graeca narrat, Cyrenen in earum virginum numero fuisse, qui Dianae catervam effecerint.

Et quum tenemus, deam venationi intentam fuisse, hoc proprium munus videbitur virginis, quae cum leone ferarum rege tam audacter congressa, victoriam de eo reportaverat.

Sed silentio praeterire non possumus, inter omnes virtutes atque privilegia, quibus dea patrocinabatur atque gloriabatur, primum locum castitatem obtinuisse.

Sic viraginibus, quae deae quasi corporis stipatores atque satellites erant, antequam ad hunc honorem admitterentur, votum erat faciendum, se semper matrimonio abstinere et castitatem servare velle.

Idem auctor quasi maiorem dictis suis fidem additurus adiicit, multas virgines ad Dianae cohortem pertinentes, in deae iram incurrisse et ob laesam castitatem a societate eius inter-

clusas esse. Quae quum ita sint, non potest non mirum videri, quomodo dea, quae ipsius castitatis quasi patrocinium sibi vindicabat, virginem Apollinis fratris sui amore petitam secum duxerit.

Qua in re recte iudicanda hoc tenendum est, veterum de vita honesta opiniones ab iis, quae nostro tempore valent morum praeceptis, maxime distare; quaque ipsi in vita sua homines uterentur libertate, hanc eos diis abunde dedisse.

Hinc innumerabiles Apollinis amores, hinc ipsa Diana Endymionis pastoris amore capta, cui perpetuam iuventutem vitamque sempiternam pater Iupiter concessisse dicitur.

Cyrenen a Diana repudiatam in Penei patris domum rediisse eandemque postea cultam fuisse, pugnare inter se videntur: fortasse tamen statuendum est, ob magnas eius vires atque robur hunc honorem ei habitum esse, qua eadem de re ei contigit, ut ad deorum dignitatem eveheretur.

Marmorum descriptio.

Iam ad alteram eamque gravissimam disputationis nostrae partem pervenimus, trium scilicet marmorum descriptionem prostypi duarumque statuarum, quae Cyrenen exhibere videntur.

Quantumcumque testimoniis illis mythologicis, historicis, allegoricis tribuendum est ad originem, res gestas atque virtutes Cyrenae nymphae pertinentibus, missis quaestionibus supra confectis — virgo illa ab Apolline dilecta fuerit necne, num Daphnes soror, num e Dianae cohorte fuerit, num leonem interfecerit, denique num Cyrenas condiderit; iam ad ipsam materiem artis archaeologiae auxiliis tractandam accedamus. Ac primum atque praecipuum ex tribus his monumentis disputationi nostrae propositis, tabula est tres pedes et trientem alta, duos pedes et quadrantem lata; in qua figurae quaedam opere caelato expressae sunt; nympha Cyrene leonem strangulans, cui altera mulier adstat coronam victoriae signum super capite eius tenens. Infra insculpta sunt haec verba; —

ΚΥΡΗΝΗΝΗΟΛΙΩΝΜΗΤΡΟΗΤΟΛΙΝΗΝΣΤΕΦΕΙΑΥΤΗ
ΗΗΕΙΡΩΝΛΙΒΥΗΤΡΙΣΣΟΝΕΝΟΥΣΑΚΛΕΟΣ
ΕΝΘΑΔΥΗΕΡΜΕΛΑΘΡΟΙΟΛΕΟΝΤΟΦΟΝΟΝΘ[Ε]ΤΟΚΑΡΗ°Σ
ΕΥΞΑΜΕΝΟΣΜΕΓΑΛΗΣΣΗΜΑΦΙΛΟΞΕΝΙΗ[Σ]

Quorum versuum vim ita fere reddimus:

„Quam matrem agnoscunt urbes quamque ipsa coronat
„Orbis Cyrenen tertia pars Libya,
„Te super has aulas gaudentem ex caede leonis
„In signum posuit Carpus amicitiae."

Hac in imagine Cyrene Nympha, vestitus habitu Dianae venatrici simillimo efficta est; cothurnis enim induta est Creticis, atque tunica succincta crura genibus tenus tegente, cui

chlamys superiecta est. Capilli eius a fronte retroacti sunt; Libya [1]) tunicam gerit, talarem zona constrictam, cui superiecta est palla ad pectus subnexa atque de tergo dependens, vestibus omnino in Aegyptium morem compositis. Capilli eius vitta vincti atque calamistrati frontem cervicesque tegunt, brachio sublato coronam lauream supra Cyrenes caput intendente.

Hoc gestu aut significari potest, Cyrenen a Libya patria quasi adoptiva e nympha ad deae dignitatem evectam esse, aut victoriae tantum, quam de leone illo reportaverat, corona illa praemium habenda est. Sic olympionicae olivarum coronis donabantur, qui maximus apud Graecos honos habitus est.

Ad Libyae pedes iacet animal, cuius caput casu quodam infelici defractum est, canem ut coniicere licet repraesentans, qui saepe Dianam muneris eius insigne comitatur.

Idem hoc loco illud animal significare verisimile est, quum Cyrene venationi dedita ad deae cohortem pertinuerit.

Pone figuras modo descriptas vitis conspicitur, aut ornamenti causa adiecta, aut allegoricum quendam sensum exprimens, cuius rami uvis onerati mulierum ambarum capitibus imminent.

Verisimillimum est, vitibus illis fructu gravibus abundantiam ac fertilitatem, qua tum regio Cyrenaica florebat, aut hospitium Carpo, cuius in inscriptione mentio facta est, tributum significari [2]).

Avium duarum in ramis sedentium forma valde oblitterata est. Iam inter varias, quae de Cyrenarum origine ferebantur fabulas, huiusmodi quaedam apud Pachonem legitur, a nostra ut videtur materie non prorsus aliena.

Videntur coloni Graeci praeter Libyas loci peritos corvum ducem secuti esse; qui re vera effecit, ut ad fontem illum commemoratum consisterent.

Apparet hanc fabulam, id quod in plerisque veterum fabulis invenitur, e locorum natura accurate observata profectam esse. Corvus enim sola erat avis, quae illis temporibus in Libyae partibus arenosis reperiebatur, unde fortasse repeti potest, hanc avem, quamvis absona voce fuscoque sit colore, postea deo Apollini artis musicae patrono Cyrenaeque amatori consecratam esse. Quomodo haec nostra coniectura, aves illas corvos fuisse, cum fabula cuius supra mentionem fecimus constet, in medio relinquendum est. Sed antequam ad ipsum marmorum auctorem exponendum accedamus, tempora definienda sunt, quibus res in monumentis expressae factae sint. Qua re permoti in historia Cyrenaicae tractanda diutius commorati sumus, exponentes, quo tempore coloni Graeci in Africam venerint; variamque eorum fortunam inde ab initio usque ad interitum urbis persequentes.

---

[1]) Libya Epaphi atque Cassiopeae filia est, quae „desertae“ atque „sitienti“ (ut Vergilii Lucanique verbis utamur) Africae regioni nomen dedisse dicitur.

[2]) Ad donatoris nomen vitis illa vix referenda videtur, casu enim factum esse potest, ut monumenti conditor eodem nomine uteretur, quo Graeci fructum significabant.

Qua in re tractanda non opiniones, sed res gestae nobis propositae sunt. Monumentorum enim vestigia certa praebent testimonia eiusdem, quam longa scriptorum series nobis tradidit fabulae. Iam artis antiquae periti est, explorare, quo tempore statuae illae sculptae, quo tempore templa illa aedificata sint, inter quorum vestigia figurae illae repertae sunt, quique illarum auctores fuerint.

Et primum quidem, quod ad Veneris templi aetatem attinet, in quo, ut ex permultis Veneris signis ibidem repertis liquet, prostypum nostrum positum esse videtur, occurrunt nobis, quae Boeckhius ad Pind. Pyth. V. 22. (ubi *κᾶπος Ἀφροδίτας* commemoratur) adnotavit:

„Duo sunt Venerei Cyrenis cultus vestigia, alterum quod Venus Apollinem et Cyrenam „nympham in Libyam venientes ibi recepit (Pyth. IX. 9.), alterum quod Ladice statuam Ve„neris dicavit, quae vultum extra Cyrenarum urbem conversum habuit (Herod. II. 181); unde „simul intelligas Veneris delubrum in extrema urbis parte fuisse, vel intra moenia, vel ante „urbem, ubi Veneris templa condi moris apud Graecos fuit.“

Ex Herodoti loco iam Amaseos temporibus Veneris templum Cyrenis exstitisse apparet. Idem templum multo posteriore tempore a Plauto in Rudente commemorari videtur: nam e v. 34 huius comoediae cum v. 61 collato apparet, hoc fanum extra urbem fuisse. Denique in eiusdem sine dubio templi vestigiis tabula nostra reperta est. Sed hoc praeclarum prostypum nequaquam ex eo aevo ad nos pervenisse, in quo templum exstructum esse accepimus, nemo est, qui non agnoscat.

Et nisi artificis nomen omnino in medio relinquendum est, ad id tempus, quo Graecorum ars quam maxime florebat, nos conferamus, auctoremque inter eius aevi sculptores quaeramus necesse est. Quae quum ita sint, fieri non potest, quin Amphio nobis in animum veniat, cuius magister Critius inde ab Olympiade LXXV. usque ad Phidiae tempus i. e. ad Olympiadem LXXXIII. vixit. Critii [1]) igitur successores, qui aliquanto post Phidiae tempus floruerunt proximaeque potius aetati sunt adscribendi, Critii magis, unde pendebant, quam Phidiae artem secuti sunt. Pausanias tradit [2]), Amphionem a Cnosso Cretae oppido oriundum fuisse, eiusque patrem Acestorem Alexibii Heracensis pentathli victoris statuam sculpsisse. Hunc Amphionem tabulae nostrae auctorem fuisse, clarissime apparet ex iis, quae de alio eiusdem artificis opere nobis tradita sunt.

Constat enim e Pausania, Amphionem donum a Cyrenensibus in templo Delphico positum fecisse; Battum scilicet coloniae conditorem a Libya coronatum, in quadrigis sedentem, Cyrena currum regente. Iam utriusque operis figurae similem in speciem conformatae, utrumque opus templo consecratum, gravissima sunt argumenta, ut statuamus, tabulam nobis propositam ab Amphionis manibus esse confectam.

---

[1]) E Pausania omnes Critii discipulos cognoscimus:

Ptolichus vixit circa . . .	Ol. 82.
Amphio	Ol. 88.
Piso	Ol. 93.
Democritus	Ol. 100.

[2]) Pausanias X. 15, 4.

Ex inscriptione infra figuras insculpta primum quidem cognoscimus, Carpum quendam illud marmor gratiae suae monumentum Cyrenis posuisse.

Quae illi cum Cyrenaicis ratio intercesserit, utrum publico an privato hospitio acceptus sit, ex inscriptionis verbis accurate explorari non potest.

Verba inscriptionis *ΥΠΕΡΜΕΛΑΘΡΟΙΟ* declarare videntur, tabulam nostram supra epistylium collocatam metopam effecisse; sic enim sculpturae inter triglyphos et supra epistylium positae nominabantur.

Quod si rem ita se habuisse statuamus, coniicere licet, metopam illam supra templi portam affixam ingredienti obviam sese obtulisse.

Iam comparato nostro monumento cum metopis Parthenonis eadem fere aetate exstructi, qua tabula nostra sculpta fuisse videtur, haud difficile est, de totius templi Cyrenaici magnitudine coniecturam facere. Tabula enim Cyrenaica magnitudine non multum distat a metopis Parthenonis, immortali Phidiae manu sculptis.

Alterum e tribus monumentis disputationi nostrae propositis et ipsum Cyrenen exhibet, quae leonem strangulat. Nympha eodem fere vestitu nec dissimili corporis habitu effieta est.

Qua Cyrenes figura cum priori illa diligenter comparata dubitari vix potest, quin tabula aliquanto vetustior sit, quam statua. Vestium enim corporumque habitu ac praecipue artificio, quo capilli effieti sunt, multum has inter se discrepare, ne mediocriter quidem in his rebus versatum fugere potest. Cyrenes scilicet in tabula effigies maiorem vitae atque motus speciem prae se fert; crura atque brachia extenta quasi ipsum virginis in leone strangulando laborem ostendunt. Capilli undulati sunt neque in singulos cirros contorti, quales in plerisque vetustioribus Graecorum signis conspiciuntur, vestes denique molliores, textura tenuiore, aurarum spiritui facilius cedentes, speciem gratissimam exhibent. In altera Cyrenes statua rudius quoddam sculpendi genus conspicitur. Romanae aetatis arti proprior. Crura propemodum directa, capilli in fronte parum artificiose compositi atque in singulos cirros divisi sunt, duriores deinde vestis rugae atque sinus agrestiorem figurae speciem efficiunt. Cothurni denique et ipsi agrestiores esse videntur; cum in alterius figurae cothurnis utcumque oblitteratis, multo prioris aetatis ars agnoscatur. Iam ex his concludendum est, tabulam multo priori aetati ascribendam, quam statuam esse; cuius faciendae fortasse dedit impetum.

Reperta est statua inter vestigia templi Apollini sacri. Quis eam sculpserit, ex reliquiis, quae exstant, explorari non potest. Ars ad eam, quae nunc Graeco-Romana appellatur, propius accedit.

Tertium denique marmor Cyrenen nympham exhibuisse videtur, quamvis, capite brachiisque defractis, nihil certi de hac figura statui possit. In hac effigie nympha vestitu minus simplici ex duabus partibus composito induta est, quarum superior brachium pectusque nuda ostendens, medio in pectore fibula quadrata cohibetur, iterumque sub pectore cincta de lumbis dependet, summamque inferioris vestis partem tegit, quae a lateribus sub genua demittitur.

Ex veterum scriptorum locis, ubi dearum vestitus habitusque describitur, cognoscimus laxis illas amictas fuisse vestibus, quarum rarae directaeque rugae ad talos defluebant.

Foeminarum aeque atque marium corpora paullum inclinata esse solent. Capilli in antiquissimis utriusque sexus statuis diligentissime compositi sunt, a fronte retroacti atque in nodum collecti, nec raro plane crispi, quales nunc apud indigenas Americanos australiumque insularum incolas inveniuntur. Cyrenes in duabus prioribus figuris capilli in eundem modum compositi esse videntur.

Quod ad Cyrenes vestitum attinet, quo in prostypo atque statua nympham cultam videmus, quotidianis eius in silva vel agris operibus aptum crediderim; quum mutilatae figurae vestitus arcte sub pectore cinctus liberumque brachiis spatium relinquens, nymphae potius venatricis speciem praebere videatur.

Ex magna sculpendi arte, ex veste accurate corpori applicata eleganterque composita, colligendum videtur, hanc effigiem ex optima Graecae artis aetate ad nos pervenisse. In Apollinis templi vestigiis haud procul a stadio inventa est.

In opusculi nostri praefatione a re non alienum videbatur paucis evincere, archaeologiam non modo omnibus, qui artium liberalium studiis operam dant, utilissimam esse maximeque necessariam, sed etiam delectationis plenissimam ob magnam rerum, quas complectitur varietatem multosque quos aperit, explicandi fontes. Veterum peritia tam late patebat tantaque est in eorum operibus artis atque ingenii venustas, ut plerique scriptores recentiores eorum vestigia sequantur artemque eorum quotidie imitentur. Ut via ac ratione disputatio institueretur, ab incepto non abhorrere videbatur, loci ac regionis naturam cum re proposita tam arcte coniunctam paucis describere breviterque historiam coloniae illius adumbrare, a Graecis in Africa eo tempore conditae, quo magna Graecae iuventutis vis e patriae finibus nimis angustis per omnia finitimi maris litora effundebatur atque etiam in interiores partes a barbaris occupatas penetrabat; quum homines rerum novarum cupidos inquieti animi ad novas sedes quaerendas stimularent, mercaturae vero deditos feracia Libyae arva atque facillimum cum Aegypto commercium spe quaestus allicerent.

Quum tamen huius gentis historia, ut supra commemoravimus, cum mythis fabulisque mire permixta sit atque conexa, illam enarrare non potuimus, nisi his accurate atque diligenter tractatis. Ex quibus tamen eas tantum attulimus res, quae proprie ad Cyrenas urbem pertinebant; multasque, quas commemorare per fines huic disputationi circumscriptos non licebat, quamvis inviti omisimus, latius a Gerhardo, Muellero, aliis viris multa cum doctrina tractatas. In historia denique nymphae Cyrenae, ex abundante materiae copia multisque fabulis saepe inter se discrepantibus exploranda atque in veritate historica ex fabularum farragine eruenda, hoc primum erat statuendum, quae accipienda essent, quae reiicienda.

Fabula ad Cyrenen nympham pertinens, in Pindari carmine supra commemorato narrata, quantumcumque ab illa discrepant, quae a Vergilio eadem de re traduntur, latissime illis temporibus inter Graecos percrebuisse videtur. Quo ex carmine, eo tempore scripto, quo Cyrenarum opes gliscebant, cognoscimus Cyrenenses in certaminibus Pythiis non sine gloria contendisse Celebratur enim illo carmine Telesicrates Pythionica, qui annis fere quinquaginta ante eam aetatem vixit, cui prostypi supra descripti originem assignavimus. Quodsi statuamus, Amphionem signi illius auctorem fuisse, persaepe cum Pindari carmen legisse verisimile est, quippe

quod eandem urbem, quam ille ornandam sibi sumpserat, celebraret. E prima carminis stropha discimus, tertiam orbis partem Cyrenae habitandam datam esse; in titulo vero infra signum posito Libya appellatur *ἠπείρων τρισσὸν ἔχουσα κλέος* id est, trium terrarum gloriam habens. Ex his verbis in eundem fere sensum congruentibus apparet, monumenti sculptorem Pindari carmen non ignorasse. Graecia enim, Macedonia, finitimaeque terrae tum cognitae unam orbis partem, quam Europam vocabant, constituebant; Syria, Armenia, Mesopotamia, Asia minor cum terris adiacentibus illo tempore compertis Asiam efficiebant; tertium denique locum tenebat Libya, sola Africae pars veteribus cognita; Aegyptus enim Asiae potius adnumerabatur.

Hoc igitur, ut paucis complectamur, quae supra disputavimus, testimoniis fide dignis diligenter exploratis, temporisque quo signa illa facta esse verisimile est ratione habita, effici nobis videtur, Amphionem, cuius tempore Veneris fanum iam pridem stabat, prostypum sculpsisse, quod sine dubio eximium in illo locum obtinebat.

In Annalibus Instituti archaeologici, qui Parisiis prodeunt, edita est tabula Apollinem exhibens, qui Cyrenen in curru duobus cygnis iuncto abducit. Docta disputatio huic tabulae adiuncta ad certum finem non pervenit. Si fides habenda est fabulae, Apollinem spreto Chironis consilio, Cyrenen vi abripuisse, mirandum est virginem in hac effigie ita se gerere, ut Apollinis impetui ne minimum quidem resistere videatur; id quod omnino exprimi oportebat, si artifex vim ab Apolline virgini illatam esse, erat significaturus. In aliis certe eiusdem generis signis, ut in virginum Sabinarum raptu, mulierum reluctantium motus aperte expressi sunt. In hac effigie tantum abest, ut virgo deo resistat, ut eius blandimenta reddere videatur.






ΚΥΡΗΝΗΝΠΟΛΙΩΝΜΗΤΡΟΠΤΟΛΙΝΗΝΣ
ΗΠΕΙΡΩΝΛΙΒΥΗΤΡΙΣΣΟΝΕΧΟΥΣΑΚΛΕ
ΕΝΘΑΔΥΠΕΡΜΕΛΑΘΡΟΙΟΛΕΟΝΤΩΦΟΝ
ΕΥΞΑΜΕΝΟΣΜΕΓΑΛΗΣΣΗΜΑΦΙΛΟΣΕ


ΩΝΜΗΤΡΟΠΤΟΛΙΝΗΝΣΤΕΦΕΙΑΥΤΗ
ΥΙΣΣΟΝΕΧΟΥΣΑΚΛΕΟΣ
ΑΘΡΟΙΟΛΕΟΝΤΩΦΟΝΟΝΘ ΤΟΚΑΡΠΟΣ
ΓΑΛΗΣΣΗΜΑΦΙΛΟΣΕΝΙΗ
D JONES

